

www.e-rara.ch

De finibus utriusque potestatis, ecclesiasticae, et laicae commentarius

Liruti, Innocenzo Maria

Lugani, 1779

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 37 Da 2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19061>

Caput XI. Quaenam sit tuitio, quam impendere principes saeculi canonibus ecclesiae tenentur; seu, cuiusmodi sit illa tuitio; quousque protendatur; ac quis illius sit ordo.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C A P U T X I.

*Quænam sit TUITIO , quam impendere Principes sæculi
Canonibus ECCLESIAE tenentur ; seu , Cujusmodi
sit illa TUITIO ; Quousque protendatur ; ac Quis
illius sit ordo .*

1. **N**emo dubitat aut dubitavit unquam , Laicæ Potestatis munus esse
eximium ac nobile , TUERI Ecclesiam , & illius Dogmata ac
Leges ; seu conferre vim suam ad præsidium Ecclesiasticæ Pote-
statis , quoties opus fuerit . Scilicet Antiquitas omnis hoc clamat ; & de suo
hæc regio officio Imperatores ac Principes admonet studiose .

2. Hanc tamen Antiquitatis sententiam non est affectus HUGO GRO-
TIUS , qui *De Imper. Summar. Potestat. circa Sacra Cap. 1. pag. 8. — 13.
edit. 1632.* loca ejusdem Antiquitatis , ad Tuitionem hanc spectantia , per-
trahere nisus est ad hæreticum Protestantium Systema , quo summis Potesta-
tibus Imperium circa Sacra tribuunt ; quod Jus non partem tantum summi
Imperii , sed potissimam atque præcipuam ipsi vocant .

3. Non cum solis tamen Protestantibus res agitur , sed etiam cum
Catholicis . Diu enim est quod Aulici , Tuitionis illius titulo abusi sunt
ad Jurisdictionem Ecclesiasticam invadendam , & ad pertrahendam ad Fo-
rum Laicum magnam Externæ Ecclesiasticæ Disciplinæ partem . Hoc vero
nunc impellit ad investigandum , ducibus iis Scriptoribus qui minime sint
Aulicis suspecti , cujusmodi sit illa Tuitio , quam impendere Canonibus
Principes tenentur ; quousque illa valeat protendi ; ac quis illius esse or-
do debeat .

4. Quod antequam præsto , admonendi sumus hoc loco , ut in sum-
mo Imperante distinguamus officium Tutoris Ecclesiæ & Canonum , ab of-
ficio Defensoris Regni , ac Jurium Regionum . Sunt enim hæc duo distin-
cta ; neque id Principi tribuendum est velut Tutori Ecclesiæ , quod ab
ipso fit ceu a Defensore Jurium Regionum : neque si quid Rex hoc secundo ti-
tulo fecerit ; inde licet inferre , aggredi illud idem potuisse tanquam Tu-
torem Ecclesiæ ,

5. Per-

5. Permiscet sæpe ista duo Interpretes Jurium minus accurati . Immo ob neglectum discrimen , quod inter duo illa intercedit , accidit , olim non raro , ut de invasivis Ecclesiæ Juribus ipsi Imperantes accusarentur ; cum ab hac tamen injuria animus eorum plane esset alienus .

6. Distinctionem hanc Defensoris Regni , ac Tutoris Ecclesiæ , inter cæteros , neglexit & Petrus GIANNONE in *Histor. Civili Regni Neapolit. Lib. 2. cap. ult. §. 2. pag. 134. tom. 1. edit. 1723.* , dum pronuntiat , olim in confesso apud omnes fuisse , quod Principes vi suæ auctoritatis , & protectionis , quam Ecclesiæ præstabant , possent laudabiliter ipsius Canonice Disciplina curam ac sollicitudinem gerere , & id emendare , quod REGNO damnum & perturbationem allaturum videretur (ed emendar ciò , che allo STATO avrebbe potuto essere di nocumento , e di disordine) . Ubi video , duo , quæ sunt plane distincta , in unum confundi . Sed , hac re interim dimissa , ad ipsum rei caput accedo .

7. Parisiensium Archiepiscopus Petrus DE MARCA *De Concord. Sacerd. & Imper. Lib. 4. cap. 1. num. 2.* admonet in primis , discrimen constitui oportere inter Executionem Canonum & Tutitionem . EXECUTIO enim Canonum , ait , Jurisdictionem Ecclesiasticam respicit ; cujus partes sunt ut judicia Canonica reddat , poenis canonicis , id est , excommunicatione , degradatione , suspensione , & cæteris ejusmodi reos plectat , & ut omnia uno verbo complectat , ligandi & solvendi pontificium exerceat . Hæc Episcopali Potestati reservata est .

8. TUTIO vero Canonum (pergit) , quæ a Principibus pendet ; Canonum custodie prospicit , & NULLITATEM rerum adversus Canones gestarum aliquando (incidente , scilicet , Appellatione , ut ajunt , ab abusu) declarat , atque omnia in integrum restituit . Sed ultra non progreditur , scilicet ad executionem canonum , quam ab Episcopis implendam indicit .

9. Hic tamen Antonius CHARLAS *De Libert. Gallic. Lib. 5. cap. 3. num. 7. edit. recogn. recitato* hoc MARCÆ loco , eundem sic emendat : Ecclesiæ est illam NULLITATEM declarare , Principum autem post hujusmodi declarationem , Ecclesiam juvare ad omnia in integrum restituenda .

10. Addit MARCA *ibid. num. 3.* , per vulgatissimam illam JUSTINIANI sententiam , a Gratiano in corpus Decreti relatum , quæ CANONES , Legum vim habere decernit ; non solum reverentiam debitam Canonibus conciliari & eorum executioni , servato Judiciorum publicorum ordine , consuli , sed etiam Jus Principis ad custodiam CANONUM , ut cæterarum Legum a se conditarum , procurandam asserti Quare Principis auctoritatem perinde ledi violatis Canonibus & decretis Pontificum ac si Reipublicæ
& RE-

& REGNI LEGES everterentur, quia Canones vim LEGIS REGIÆ suscepissent.

11. Hæc MARCA; quæ quidem omnia valent potius ad Vim, effectum, & usum TUTIONIS exhibendos, quam ad Tutionem & ejus munia describenda. Supplebit tamen ista laudatus aliàs Jurisconsultus nobilissimus Joannes DOMAT, qui in Opere præclaro *Le Droit Public Lib. 1. Tit. 19. sub initium, Tom. 2. Oper. pag. 137. edit. 1745.*, inter officia TUTIONIS Regiæ ponit, ut Princeps curet, a subditis suis obedientiam Potestatibus Spiritualibus exhiberi in omnibus, quatenus pertingere Temporalis potestas valet, tuendo, protegendo ac imperando Executionem Legum Ecclesiasticarum; puniendo eos qui Leges istas ita violant ut inde ORDO EXTERIOR turbetur; & Leges etiam condendo ad conservationem Legum Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Disciplinæ.

12. Affertur autem a Joanne DOMAT in exemplum, cultus Fæstorum dierum; quorum violatoribus cum solas spirituales Pœnas imponere Ecclesia valeat; Principis erit officium, iis Temporales infligere. Addit aliud exemplum, Residentiam nempe Pastorum; quos Princeps sua potestate ac vi coget servare Ecclesiasticas Leges de hoc capite latas.

13. In gratiam igitur Legum ECCLESIÆ (pergit DOMAT) potiuntur Principes jure condendi Leges ac Statuta, ad executionem imperandam earundem Legum: quod videmus factum ab Imperatoribus Romanis, & a Regibus Galliarum, qui ea quæ de Rebus ad Ecclesiam spectantibus decernunt, Legum POLITICARUM nomine appellant (qui appellent ce qu'ils ordonnent sur les matieres qui regardent l'Eglise des Loix politiques), & se dicunt Protectores, Custodes, Conservatores & executores rerum earum, quæ Ecclesia docet & constituit.

14. In quo quidem Potestas Temporalis non attentat quicquam supra auctoritatem spiritualem, sed Ecclesiæ potius obsequitur; & hoc præsidium quod Principes præstant Ecclesiæ, partem facit regiminis Temporalis (fait une partie de la police temporelle), cujus ordo postulat ut Religionis etiam ordo servetur. Hæc ex Joanne DOMAT contraximus in pauca. Confer. Caput VII. num. 63. — 69. supra.

15. Huic officio (ait MARCA Op. cit. Lib. 2. cap. 10. num. 3.) Theodosius Imperator se adstringi fatetur iis literis, quas ad Synodum Epbesinam dedit. Ex iis patet societatem & cognationem quandam inter religionem & rempublicam, ad Principis studium pertinere Ecclesiastici status æque ac Imperii pacem, regii muneris esse ut eum firmum & inviolatum præbet eo omnium consensu, pietatis religionisque sinceritatem teneatur, curetque ut eorum qui

qui CLERO adscripti sunt, emendata sit castigataque vita.

16. Cæterum (videndum est enim modo, quousque Tuitio protendi valeat) si agatur, exempli gratia, de admissa Appellatione ab abusu, seu de protegendo Reo contra Ecclesiasticum Tribunal a violatione CANONUM in Judicio perpetrata; cavere debent Judices (inquit idem MARCA Lib. 4. cap. 20. num. 2.) ne patrociniū ultra quam par sit in detrimentum Ecclesiasticæ Jurisdictionis proferant. Quod varie accidere potest, scilicet si non solum se Canonum exactores præsentent, sed etiam Executores; id est, si pronuntiantes de abusu admisso, eo gradu non hæreant, sed etiam de negotio Ecclesiastico judicium ferant.

17. In eadem Appellatione ab abusu afferri pariter potest Ecclesiasticæ Jurisdictioni detrimentum, si iudices ad cavillationum angustias disceptationem istam redigant, quæ matura cognitione dirimi debet, & eo solum casu institui cum abusus est APERTISSIMUS, notorius, & manifestus, juxta veterem harum Appellationum formulam quæ ab abusu notorio inscribebatur, alioqui in specie DUBIA & controversa satius est ecclesiasticis Judicibus litem relinquere.

18. Ita MARCA sapienter & in usus etiam alios apposite & opportune; cui in hoc consentientem habeo Antonium CHARLAS De Libert. Gallic. Lib. 6. cap. 9. num. 7. edit. recogn. scribentem, executionem Regiam Canonum, certam & evidentem Canonum sententiam sequi debere, quæ rei cognitionem judiciariam non requirat; & tunc tantum a Principibus curandam esse cum eam Ecclesia per se consequi non potest. Hæc ille, executionis verbum sumens pro Tuitione.

19. Neesse est enim (dicam cum MARCA ibid. num. 3. ut Judices Regii hoc sibi proponant, Judicia CANONICA NULLO MODO ad Jurisdictionem Regiam pertinere, sed communi EPISCOPORUM & Principum consensu ab ipsis Christianæ religionis primordiis Ecclesiasticæ Jurisdictioni addicta. Quare si necessitate cogente in eas cognitiones Regia Jurisdictio aliquando excurret, ita se gerere debet, ut lineas a majoribus hac in re defixas non egrediatur.

20. Causas autem excurrendi in eas cognitiones, duas potissimum esse dicit MARCA hoc loco; periculum scandali & offensionis publicæ ob APERTISSIMAM Canonum violationem; & oppressionem iniquam in Judicio Ecclesiastico, ut accidit in causa ATHANASII.

21. Hactenus quidem & quæ sit TUITIONIS natura vidimus, & quousque Tuitio ea Canonum protendi valeat. Considerandum modo quis illius esse ORDO debeat. Docet MARCA Lib. 2. cap. 10. num. 1., non solum
inser-

interpellatos & rogatos Principes ministerium suum ad CANONUM observationem commodare posse, sed etiam ex officio in eam curam incumbere teneri ex eo scilicet quod nomen suum CHRISTO dederint, eique caput suum & ipsam REGIAM Dignitatem deooverint.

22. Sed contra Antonius CHARLAS *Op. cit. Lib. 6. cap. 13. num. 7.* affirmat, Regis esse, legum Politicarum custodie debito modo invigilare, Ecclesiasticarum autem executionem (id est observationem & custodiam) tantummodo curare, POSTULANTE ECCLESIA, non autem harum Judicem agere. ALLAS *Sacris Canonibus derogatur, dum opera dari dicitur, ne derogetur.*

23. Istud CHARLÆ pronuntiatum explicat plenius Joannes Antonius BIANCHI in Opere adversus Petrum Giannone, *Della Potestà, e della Polizia della Chiesa Lib. 2. cap. 3. §. 2. num. 10. in Tomo 4.* Pro qua re distinctionem posuerat jam num. 5. & 6. inter Tutorem Canonum, & Custodem; & inter Principis quidem officia ponit TUTIONEM Canonum; at CUSTODIÆ jus Principi eidem denegat.

24. Nimirum *Custodis* nomine hoc loco intelligit Judicem; & nomine *Custodiæ* intelligit jus temperandi Canones, vel eos interpretandi, aut NOVAS regulas de rebus Canonicis præscribendi (*di moderare i Canoni, o interpretargli, o NUOVE regole intorno alle Canoniche materie prescrivere*); vel etiam jus per se ipsos emendandi abusus contra Canones, aut admittendi appellationes quascunque ab abusu eorundem Canonum (*di conoscer d'ogni abuso contro i Canoni, e di ricevere ogni ricorso contro gli Ecclesiastici per tale abuso.*

25. Et Constantinus RONCAGLIA in *Animadversionib. in Dissertationem 21. Natalis Alexandri Hist. Eccl. Sæc. 4., §. 2.* Iubens dat, Principes Canonum Ecclesiæ & litarum sententiarum executionem promovere teneri, quando ipsamet Ecclesia obtinere non potest id, quod latis Legibus, vel pronuntiata in aliquem sententia intendit, & quando ab eadem in auxilium advocati fuerint; scilicet ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinam sermonem, Potestas hoc imperet per discipline terrorem; prout est in vulgato ISIDORI Hispalensis dicto. Et paria, post Concilium VI. PARI-SIENSE anni 829., sequitur Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Par. 2. Lib. 3. Cap. 92. num. 14.*

26. Verum quod attinet (subdit RONCAGLIA) ad vulgaria iudicia, quid opus est Principum ministerio? Et si fortasse ejusdem indigerent, Judices Ecclesiastici exposcerent, iisque exposcentibus, Principes, qui Canonum custodes sunt & executores, presto esse debent.

27. Et quando etiam *Judices Ecclesiastici in Canones peccarent*, cum *istis CANONES* mandaverint *Superiorem (Ecclesiasticum)* esse adendum, qui illas injurias corrigat; si *Principes* velint esse *Canonum custodes & executores*, in hoc incumbere debent, ut qui de *Inferioribus Judicibus jure* queruntur, ad *Superiores ECCLESIAE Judices* confugiant.

28. Si mea in isto *Auctorum* dissensu quaeratur sententia; dicam, eam mihi opinionem videri veram, quae habet, tunc *Principem*, tanquam *Protectorem Ecclesiae & Tutorem Canonum*, suscipere cognitionem debere, de violatis *Canonibus*, quando interpellatus ab Ecclesia fuerit; nisi graves ac manifestae *Politicae rationes* aliud illi, non tam ut Ecclesiae defensori quam ut *Tutori REGNI*, aliquando persuaserit: vel saltem quando apertissima ac manifesta intervenerit violatio *Canonum eorum*, unde status *Disciplinae*, aut *Morum probitas* pendet; non eorum, quibus mutabiles *Disciplinae articuli* continentur & qui a *LONGO* jam tempore contrariis moribus a bonis & piis abrogati censentur.

29. Et sane, quod alterum caput attinet (primum enim nulla interpretatione indiget); nisi ratio illius habeatur; continget, id quod factum non raro vidimus, turbari ac inverti *Ecclesiasticam omnem DISCIPLINAM*, dum titulo *TUTIONIS* cujusdam male invellectae urgetur executio *Canonum vel morum*, qui mutati jam pridem sunt, succedentibus in locum eorum aliis moribus, qui cum casta Ecclesiae *Disciplina* in nullo pugnant.

30. Est igitur hic habenda ratio sapientissimae illius *Regulae*, quam praescribit doctus & acutus *Auctor* libri inscripti: *Justification des Discours & de l'Histoire Ecclesiastique de M. Fleuri tom. 1. par. 3. §. 1. Reg. 1. Postquam pedetentim caput aliquod Disciplinae mutatum est, si accedat Decretum Concilii Generalis, vel ROMANI Pontificis cum consensu Cætus Pastorum (d'un PAPE suiivi du corps des Pasteurs), ad approbationem NOVAE Disciplinae; tuto pronuntiandum est, novum hoc caput, etsi veteri mori contrarium, non esse aut contra Fidem, aut contra bonos mores, adeoque illud non esse inter abusus habendum, quoniam nunquam id Ecclesia confirmat, quod sit aut Fidei aut bonis moribus contrarium.*

31. Hæc ignorant novi quidam *Scriptores*, qui *restitutionem* quorundam *Canonum ac Legum* inculcare solent, quorum abrogatio tam est antiqua, tum legitima, cum nihil plane cum *Jure Naturæ aut Divino* pugnet: nec vident, dum hoc isti agunt ut restituantur, a se impeti *Jura variarum Ecclesiarum*, & *variorum Ecclesiae Cætuum*; ac *Præscriptionem & consuetudinem legitimam* contemni.

32. Non vident etiam, si aliqua hodiernam Ecclesiasticam Disciplinam incommoda in mutatis articulis comitantur; id a pravitate hominum proficisci, non a Disciplinæ vitio; & quodcumque tandem rerum systema fuerit positum, non defuturam tamen unquam hominum malitiam, quæ sanctis ac castis functionibus abutatur in obsequium suæ cupiditatis. Ridiculi ergo sunt Scriptores illi leves, qui Tutitionem Regiam ac Protectionem ad ista Disciplinæ capita revocant.

33. Pietas certe Regum non eo usque se decipi patietur, ut novis istis magistris aures præbeat. Norunt enim, hæc aggredi, nihil aliud esse, quam Dominos Ecclesiasticæ Disciplinæ se constituere & Magistros ac Doctores Ecclesiæ: nihilque id aliud esse quam Tutitionem CANONUM vertere in manifestam everisionem.

34. Velim profecto mihi dicas, an nunc potior habenda sit ratio Canonum ac morum, qui exoleverunt, an eorum potius, quibus nunc stat Disciplina? Isti certe nunc sunt Canones, quibus Ecclesia vim tribuit & quos postulat custodiri. Igitur si Principes istos sibi sumpserint mutare, everfores erunt Canonum, non Tutores; auctores Disciplinæ NOVÆ suæ, non autem Protectores Ecclesiasticæ.

35. *TUITIO* enim (ut dicebat nobis Ill. DE MARCA cap. 1. num. 296.), *Canonum sententiam aliquo pacto egredi non debet. Alioqui IRRITUM est & inane quodcumque Principis Edictum ADVERSUS CANONES in rebus Ecclesiasticis latum.*

36. Fac vero modo, speciem esse dubiam ac controversam, nec certam & evidentem esse CANONUM & Ecclesiæ sententiam; seu fac, dubium esse, pugnent, necne, nonnulli receptæ Disciplinæ articuli cum vera Ecclesiastici status indole; vel non constare, quos Canones, quos Disciplinæ articulos, quos mores probeat Ecclesia in specie aliqua peculiari.

37. In hac certe dubitatione sententia expectanda est Ecclesiæ; cum ipsi uni Depositum commissum sit Doctrinæ ac Disciplinæ, & cum par sit, unum quemque esse Judicem in sua arte & professione, prout LEO Sapiens Imperator judicavit *Cap. superiori VII. num. 47. seq.*

38. Qua, quæso, ratione tutum iudicium ab Aulicis de Disciplinæ illius Cætus feretur, cui ipsi adscripti non sunt, & in qua constituenda vel ii ipsi aliquando falluntur, qui tum scientia Ecclesiastica, tum diutina Experientia sunt præditi? Experimur, heu! nimium, quam infelices exitus habuerint præscripta quædam Laicorum Magistratum, ad res Ecclesiasticas spectantia. Deplorat Ecclesia detrimenta disciplinæ ac morum quæ inde profecta sunt, Scilicet iudicium ac scientiam sibi usurpantes rerum, quas

quas nec norunt nec nosse, credo, tenentur, dati sunt a DEO in per-
versum sensum.

39. Quod affirmavi, quando dubium est, pugnent, necne, nonnulli
receptæ Disciplinæ articuli cum vera Ecclesiastici status indole; tunc hac in
dubitatione expectandam esse Ecclesiæ sententiam; id illi quoque facti sunt,
qui pro Laicæ Potestatis Juribus accuratius scripserunt; quos inter videtur
mihi vindicare sibi locum JOANNES PETRUS GIBERT.

40. Iste tit. 3. sect. 8. primæ Partis Prolegomenor. ad Jus Canonicum,
hoc in una specie factus est; unde transferri ad rem universam potest.
Magistratus, ait, usurparent auctoritatem que sibi non competit, si Appellatio-
nes tanquam ab abusu admitterent, cum sententia de qua appellans conqueritur,
non est EVIDENTER contraria Legibus Ecclesiæ, quia hoc in casu agitur
de INTERPRETATIONE CANONUM, QUE NON COMPEPETIT PRIN-
CIPU: Legis interpretatio pendet ab eo, qui ejus ferendæ auctoritatem habet.

41. Maneat ergo, tunc tantum Principem, tanquam Tutorem Eccle-
siæ & Protectorem Canonum, de violatis Canonibus aut de corrupta Di-
sciplina suscipere cognitionem posse aut debere, quando APERTISSIMA
AC MANIFESTA intervenerit violatio Canonum eorum, unde status Di-
sciplinæ, aut MORUM PROBITAS pendet; non eorum, quibus mutabiles
Disciplinæ articuli continentur & qui contrariis jam moribus a bonis & piis
legitime abrogati censentur.

42. Habent autem illius generis multa tum Principes, tum Aulici,
contra quæ zelum suum bonum exerant.

43. Alias autem Princeps, tanquam Protector Ecclesiæ & Tutor Ca-
nonum, suscipere cognitionem debet de violatis Canonibus, postquam in-
terpellatus ab Ecclesia fuerit; id est, quando ipsamet Ecclesia id obtinere
non potest, quod latis legibus, vel pronuntiata in aliquem sententia inten-
dit. Quod vel ipsum Tutoris nomen satis persuadet.

44. Nam quemadmodum (ait auctor Tractatus De l'Autorité des Rois,
touchant l'Administration de l'Eglise, editi sub nomine TALONII Regii
Advocati celebris, Par. 2. Diff. 1. pag. 84.) Tutores ac Curatores pupillis
damus ut eos adjuvent in illis quæ prestare ex seipsis non valent; ita Dei Filius
sua Ecclesiæ, quam in terris quasi infantem pupillam posuit, Reges dedit quasi
Tutores, ut eam protegerent, eique presto essent in omnibus illis, ubi suis
se viribus sustinere ipsa non posset.

*Quis esse debeat ordo inter officium TUTORIS Ecclesiæ, &
officium DEFENSORIS Regni.*

45. Distinctis initio istius Capitis duobus officiis in Rege, Tutoris Ecclesiæ & Canonum, & DEFENSORIS REGNI ac Jurium Regiorum; videndum est nunc, quæ sit via conciliandi bina hæc Regis officia, si quando inter ea aliquis existat conflictus, ita ut unum destruere alterum videatur: inquirendum est, inquam, ea in pugna quodnam duorum cedere alteri debeat.

46. Ubi hoc non est dubitandum, in pari causa DEFENSOREM REGNI, Tutori Ecclesiæ dare locum oportere, seu utilitates Ecclesiæ spirituales præire debere rationibus Regni temporalibus. Quod ipsa rerum natura persuadet; quando tantopere & dignitate, & finibus, spiritualia præstant temporalibus.

47. Hoc vidit & acutus Auctor Tractatus, vulgati sub nomine TALONII, Par. 2. Dissert. 1. citat. pag. 89. edition. Amstelod. 1700. *Rebus paribus, ait, aut etiam non multum inæqualibus, dubitare nemo potest, quin rationibus, ut ita dicam, Dei quam longe debeat utilitas hominis cedere* (que l'intérêt de l'homme doit infiniment céder aux intérêts, pour ainsi dire, de Dieu.

48. Sed cum incidere possit quæstio Sacerdotium inter & Imperium, interfit ne magis Imperii, an Ecclesiæ, Decretum aliquod sive Ecclesiasticum, sive Civile fieri, vel tolli, aut suspendi; jam & hoc oportebit videre, in quo homine controversiarum hujusmodi iudicium & arbitrium resideat. Istud vero reservo explicandum *Capite XIII.*: inde certe satis lucis ad hoc intelligendum ac definiendum habere poterimus.